

322

320

326

316

331

311

371

271

421

221

Ende

Anfang

307

sit verum, et evidens signum, quod locus ille sit in medio terrae, ubi in meridie sol splendens sic directe super capita corporum [stat], quod umbram corpus non reddit, non video. Legi etiam in pluribus libris de multis locis, ubi corpora aliquo tempore non reddant umbram, sicut recitat Dionysius libr. 3. Antiq. hujusmodi, de quadam insula versus meridiem in oceano sita, in qua circa meridiem nullam fieri rei cuius umbram, cum supra verticem sol existat; quae insula longissime distat ab Hierosolyma. Sed et Petrus de Abano consiliator Doctrina 67. idem dicit fieri in civitate Athenae, in qua ipse met experimentum hujus accepit. Et in civitate Sienae super Nilum idem dicit fieri sole in aestivo tropico existente. Et Ptolemaeus in tertia tabula Africae et in quarta multas regiones inducit, ubi sol stat meridie supra verticem. Et quod his amplius est, in tabula eadem assignantur loca plurima, ubi bis in anno sol super verticem stat sine umbra. Sic sunt loca in Asia multa, ut videri potest in 6. tabula, in 9. et 10. et 11. et in 12. Et notum est, easdem regiones non esse mundi medium. Multi aestimaverunt, certam insulam esse in mundi medio, in qua tamen sol semper meridie umbram relinquat. Caeterum vulgi imaginatio omnem locum totius orbis mundi medium opinatur, quia credit, homines per gyrum circumfusos orbi, et conversis pedibus stare, et cunctis scilicet coeli verticem esse, cunctosque mundi aut orbis medium calcare. Sed Augustinus de civit. Dei lib. XVI. c. 9. omnino negat antipodes esse, cum nec Scriptura, nec historia, nec experientia id doceat, et impossibile sit in oppositum orbis devenire locum propter oceanii immensitatem, quam nulla navigatione pertransire est possibile. De his quaere in Specul. nat. l. 7. c. 10. Sed infallibilis veritas sacrae Scripturae testimoniiis inducit, Jerusalem in medio mundi esse. Multi tamen dicunt, Jerusalem quidem esse in medio mundi habitabilis, sed non in medio machinae totius mundi. Sit tamen sic vel sic, Scripturae sacrae credendum est, quae Jerusalem in medio terrae positam esse dicit, et Salvatorem nostrum salutem in medio terrae operatum fuisse asserit. Unde de primo dicit Ezech VI.: Ista (118A) est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terram. De secundo Psalm 73.: ope-

20\*

